

30

OBSERVAT. SIDEREÆ

ma crepuscula emergentes, tamen si prima fuerint magnitudinis, exigua admodum apparent, & Venus ipsa si quando circa meridiem se nobis in conspectum deserit, adeo exilis cernitur, ut vix Stellulam magnitudinis ultima equare videatur. Secus in aliis obiectis, & in ipsamet Luna contingit, quæ siue in meridiana luce, siue inter profundiores tenebras spectetur, eiusdem semper molis apparet. In tona igitur in mediis tenebris spectantur Astra, crines tamen illorum diurna lux abradere potest at non lux ista tantum, sed tenuis quoque nubecula, quæ inter Sydus, & oculum adspicientis interponatur, idem quoque præstant nigra velamina, ac vitra colorata, quorum obiectu atque interpositione circumfusi fulgores Stellarum deserunt. Hoc idem pariter efficit Perspicillum, prius enim adscitios, accidentalesque a Stellarum fulgores adimit, illarum inde globulos simplices (si tamen figuræ fuerint globosæ) auget, atque adeo secundum minorem multipliciter adaucta videntur: Stellula enim quintæ, aut sextæ magnitudinis per Perspicillum visa, tanquam magnitudinis primæ repræsentatur.

Adnotatione quoque dignam videtur esse discrimen inter Planetarum, atque fixarum Stellarum adspectus: Planetæ enim globulos suos exacte rotundos, ac circinatos obiciunt, ac veluti Lunula quadam undique lumine perfusa, orbiculares apparent: Fixæ vero Stellæ peripheria circulari nequaquam terminata conspiciuntur, sed veluti fulgores quidam radios circumcirca vibrantes, atque admodum scintillantes: consimili tandem figuræ præditæ apparent cum Perspicillo, ac dum naturali intuitu spectantur, sed adeo maiores, ut Stellula quintæ, aut sextæ magnitudinis Canem, maximam nempe fixarum omnium equare videantur.